



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

5. Aures.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

quia vt extrinsecus irruentibus iniurijs minus sint obnoxij, ossibus vnde quaque, & palpebris, quasi proprijs sepimentis sunt obvallati: magnitudo eorum tanta est, quanta ad rerum imagines sufficiat: natura tota est aquea, mollis, lubrica, splendens, pellucida, vt celerius rerum omnium spectra, colores, imaginem excipiant. Totum præterea oculorum corpus, sex musculis, totidem tunicis, tribus humoribus, duobus neruis, venis, & arteriis quamplurimis, adipeque copioso constituitur. Musculi vnde quaque mirâ volubilitate perniciter versant, tunicae fluentem naturam, veluti solidiori vallo muniunt, quarum vna est vcaulis, & arteriis quamplurimis distincta, fundæ similitudinem reddit, altera cornea duritie, & pelluciditate, cornu præteruenit, & accuratè politum refert. Tertia vnae acinum, & folliculum, à quo pedunculus auulsus est, figura, colore, tenuitate, leuitate extrinsecus spectantibus exhibet. Quarta tenuitate telas aranearum æmulat. Quintam reticularem à retis similitudine medici dixerunt. Postrema veteribus incognita, vitrea, & ipsa vitreum humorem, omni ex parte ambit. Detectis tunicis effluunt statim, & in apertum prodeunt partes oculorum nobilissimæ: humores quippe, aqueus, crystallinus, & vitreus, sed crystallino summus debetur honor, qui anima oculi, speculum interius, & centrum ideo dici solet.

Quid neruos loquar, quorum vnus visioni, alter motioni deseruit? quid adipem? quid venas? quid arteriolas? quid musculos? portenti profectò simile est, quod vno corpufculo, tam varij generis particulas natura concluserit. Quid de oculorum effectis dicam? vident, mirantur, adamant, concupiscunt, amoris, iræ, furoris, misericordie, vltionis indices sunt; in audacia proflinant, in reuerentia subsident, in amore blandiuntur, in odio efferantur, gaudente animo hilares subrident, eodem moerente languescunt, in ira exasperantur, in cogitatione, ac cura quiescunt, cum mente semper intenti: vnde tot vsus, tot nomina, torui, truces, flagrantes, graues, transuersi, limi, submissi, blandi, ad summum ad animi motus ita sunt compositi, vt alter animus esse videatur.

⊕⊕

A V R E S.

Descriptio V.

AVRES, animi lancee, suam quoque merentur commendationem, quam Cicero lib. 2. de natura Deorum paucis pertexit.

Auditus semper patet, cuius etiam sensu dormientes egemus, à quo cum sonus est acceptus, etiam è somno excitamur. Flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex, & directum pateat prouisum etiam, vt si quæ minima bestiola conaretur irrumpere, in foridibus aurium, tanquam in visco inhæresceret: Extra autem eminent, quæ appellantur aures, & tegendi causa factæ, tutandique sensus, & ne adiectæ voces laberentur, atque errarent priusquam sensus ab his pulsus esset. Sed duros, & quasi corneolos habent introitus, multisque cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur sonus. Quocirca, & in fidibus, testudine resonatur, aut corau, & ex tortuosis locis, & inclusis redduntur ampliores. Aurium item est artificiosum quoddam, & admirabile iudicium, quo iudicatur, & in vocis, & in tibiaturum, ac neruorum cantibus varietas sonorum, interualla, distinctio, & vocis genera per multa, canorum, fuscum, lene, asperum, graue, acutum, flexibile, durum, quæ hominum solummodo auribus iudicantur.

C O R.

Descriptio VI.

Sed nihil corde admirabilius hoc vaseulo, quo tanta rerum continetur immensitas, de quo præclare Laurentius:

Hoc præstantioris animæ sedes, vitæ domicilium, fons sanguinis, & quasi perpetuus caloris focus, quo vigente omnia vigent, intereunte marcescunt, atque dilabuntur. Primum pyramidis est figura sensim gracilescente, ex basi enim ampliore in turbinatum mucronem desinit, quo longitudo ad tractum, rotunditas ad robur, amplitudinemque conferat. Situm est in medio thorace, vt vitalem spiritum, & viuificum nectar salutaris instar syderis, in omnia extrema diffundat. Quantitas eius exigua, vt ceterorū vitæ principio.

§ fl 2